Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26074
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ille autem. Et quis est michi proximus? Et narrauit dominus: Homo
quidam descendebat ab Iherusalem in Hiericho. Ostendit illum
quodam modo israhelit[…]am. Et incidit in latrones; qui cum expoliassent
& plagas ei graues inrogassent, dimiserunt eum in uia
semiuiuum. Transiit sacerdos utique genere proximus, preteriit
iacentem; transiit leuita, et hic etiam genere proximus, iacentem
ipse etiam contempsit. Transiit samaritanus, genere longin
quus, misericordia proximus, fecit quod nostis. In quo samari
tano se uoluit dominus intelligi Iesus Christus. Samaritanus enim custos
interpretatur. Ideo surgens a mortuis iam non moritur, et mors
ei ultra non dominabitur; quia non dormit neque dormitat qui cus
todit Israhel. Denique quando conuitiis tantis blasphemabant
iudei, dixerunt illi: Nonne […]tterio uerum dicimus quia
samaritanus es, et demoni[…] non habes? Cum ergo duo essent
uerba conuitiosa obiecta in domino, dictumque illi esset: nonne uerum dicimus
quia samaritanus es, et demonium habes? Poterat responde
re: nec samaritanus sum, nec demonium habeo. Respondit
autem: Ego demonium non habeo. Quod refutauit, respondit; quod
tacuit, confirmauit. Negauit se habere demonium, qui se
nouerat demoniorum exclusorem; non se negauit infirmi custo
dem. Ergo dominus in proximo est, quia dominus nobis factus est in proximo. Quid
tam longinquum, quid tam remotum, quam deus ab hominibus,
inmortalem a mortalibus, iustum a peccatoribus? non loco lon
ge, sed dissimilitudine. Nam solemus et nos ita loqui, cum de duobus
hominibus dicimus, quanti diuersi sunt mores: ita lon ‹iste›
ge est ab illo, etiam si iuxta steterint, etiam si uicinus in
habitatione, etiam si una catena colligentur. Longe est pius ab
impio, longe est innocens a reo, longe est iustus ab iniusto.
Si hoc de duobus hominibus, quid de deo & hominibus
dicitur?